



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ex Recogniti|one Des. Eras-||mi Roterodami.|I**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Io. Frobenivs Candidis Lectoribvs S. D.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**

# IO. FROBENIVS

CANDIDIS LECTORIBVS S. D.



ON TAM barbarorum incursiones, quibus tamē hoc omnes acceptum ferunt, quām inscītia mirusq; literarū neglectus in causa fuit cur bona pars autorum mutila hodie circūferatur. Aliquot enim sāculis adeo meliorum literarū expers etiam ipsa fuit Italia, ut in hac nemo sc̄ret latine. Tum boni autores in tenebras cōiecti sunt. & quo quisq; melior, tanto magis neglectui habitus. at hoc utcunque tolerabile, ni perniciōsius ab his præcipue saeuum fuisset in libros, à quibus nihil minus expectandum erat. Eō siquidem indignitatis uentum fuit, ut CHRISTI, literarūque sacris initiati, sacerdotes inquam, & in his omniū maxime qui Fratres audiunt, insignium autorum inter nitionem molirentur, passim suas quisq; nugas auulis membranis ueſtientes. Neque hoc faciebant tam amore CHRISTI, cui uiderentur non nihil officere ethnicorum monumenta, quām quod omnem odissent eloquentiam. Hinc est (ut de proſus abolitis ſileam) quod Q. Curtium ἀκέφαλον habemus, quod Taciti historiam, quam tamen toties Imp. Tacitus ſingulis quibusque annis excribendam curabat, adhuc imperfectam legimus. Denique quod Ammiani XIII libros defuderamus. Quem scriptorem cum ad Eutropium effemis addituri, diu nostros amicos ſollicitos habuimus, quarendi ueteris exempli gratia. Verum cum nihil uſpiam reperiretur, codicem tandem nacti ſumus Bononiae typis excusum, quem Petrus quidam Castellus ad Philippi Beroaldi, & Baptista Pij lectionem ſe caſtigasse testatur. Norunt docti omnes quām fuerit haec tenus hic autor lacunis crebris interscissus, ut ne uersus quidem ullus inoffenſe legeretur. has, Bononiēſes iſti magna ex parte expleuerunt. Restant tamen adhuc aliqua, quae non niſi melioris exempli ſubſidio corrigi queant. Meminit multa de Germanis Ammianus, qui id temporis Alemanni dici coepit, non à Lemanino lacu, ſed quod pleriq; Germaniarum populi in unum coniſſent, ut afferit Quadratus rerum Germanicarū ſcriptor apud Agathium. Hi magnam olim Galliæ partem tenuerunt, ſic Heluetiam occupaſſe Quados Eutropius indicat. Bene Valete, & operam nostram boni consulite. Apud in dytam Germaniæ Basileam sub Calendas Maias AN. M. D. XVIII. Ammiani

Alemānorū  
etymon.